

In laudem Caroli XII. Reg. Svec.

II n
6795

QUOD FELIX, FAUSTUMQUE ESSE JUBEAT
DEUS O.M.

NATALEM

SERENISSIMI AC POTENTISSIMI REGIS
AC DOMINI,

DN. CAROLI XII.

SVECORUM, GOTHORUM AC VANDALORUM
REGIS &c. &c.

DOMINI NOSTRI CLEMENTISSIMI,

*ANNO O.R. MDCCIL. DIE. XXVII. JUNII.
FELICI SIDERE PRONUPER REDUCTUM,*

ATQVE

*D. V. JULII. HORA X. IN AUDITORIO MAJORI
GYMNASII CAROLINI REGII*

*IV. FESTIS ORATIONIBUS,
DEVOTOQUE CULTU CELEBRANDUM*

PUBLICE INTIMAT:

ET AD HANC PANEGYRIN

*ILLUSTRISSIMUM ET EXCELLENTISSIMUM POMERANIAE
GUBERNATOREM GENERALEM,*

*ILLUSTRE ET MAGNIFICUM REGALE CONCILIUM,
PROCERES PORRO HUJUS URBIS SAGO ET TOGA INCLYOTOS,
NECNON RELIQUOS SACRI ET CIVILIS ORDINIS VIROS,*

SUO QUOSVIS LOCO ET GRADU BENE DE

REPUBLICA MERENTES:

*QUOTQUOT DENIQUE LITERIS FAVENT
ET OPERANTUR,*

*OBSERVANTER OFFICIOSE ET AMICE INVITAT
ATHENÆI ISTIUS ILLISTRIS RECTOR,*

JOH. GEORG. RÖSERUS. S. THEOL. D. ET. PROF. P.

Scriptum typis Starckii, Gymn. Carolini Typographi.



Istere se denuo parant ad thronum Au-
gusti REGIS, DOMINI ac NUTRICII sui Clementissimi Musæ
Carolinae, ut genibus advolutæ, Sceptri Majestatem venerentur,
& curule ebur ac Sacram purpuram cernua adorent. Audent
venerabile Regis sui solium trepidantibus licet oculis intueri;
humique repentes properant viætricem Invictissimi Victoris hujus dexteram
tot servatis populis propitiam, totque invidis & suo fato obnittentibus
formidabilem dissuaviari. Nec tam horriflico Martis classico tubarumque
& lituorum clangore ex quiete sua, cui in Parnassi jugis suaviter indulgent, ex-
citatae ad hoc fulgidissimum regia fortuna jubar prorepunt, quam devotæ
sua pietatis sensu stimulatae, quicquid virum supererit, ad publicam NATALIS
REGII lætitiam magnifice celebrandam promptissime impendunt. Et primum
quidem Solem suum, TE SERENISSIME REGUM, & simul Arctoi orbis splen-
didissimum Sidus in tam vicina Polonia metropoli nuper effulgens, quod
ab ullo Svecorum Rege vix intra dimidium seculi factum esse meminimus, vo-
cibus faustis & bonis omnibus decet exciperre: & revolutum auspiciatissime Na-
talem Majestati Tuæ Regiæ & Patriæ universæ gratulari. Hoc enim faustissimum
illud tempus est, quo Numen tot mille fidissimorum civium precibus exoratum,
TE, invictæ CAROLE, pignus Suecico regno & patriæ huic, atque adeo velut
alterum Palladium & sanctissimum ancile cœlitus dimisit. Et decima septi-
ma Junii lux lætitissima illa est dies, si extra variantes suppulantum calculos ponitur
& ex antiqua fastorum formula Svecis etiamnum recepta, ut fieri par est, asti-
matur, qua novum hoc sidus ante hos ipsos viginti annos feliciter exoriens, Marti
pariter ac Musis beneficum, mundi hujus & præsertim Septentrionalis habi-
tatoribus fauissime apparuit. Perstrebat tunc Svecia omnis & quot-
unque regna atque provinciæ vasto ejusdem ambitu continentur, communis
gaudii magnitudine: & in illa universalis gratulatione omnis ordinis, sexus &
ætatis gaudia, vota, preces & plausus, aliaque sinceræ mentis argumenta
passim notabantur. Audiebantur lætantium præsgia haud vano augurio pro-
lata: natum esse Augustum Carolum magno seculi bono, Augustæ stirpis in-
clytum germen, Avitæ Paternæque gloriæ hæredem, tot populorum Regem fu-
turum, felicitatisque non per Sveciam modo, sed per universam ferme Europam
dispensatorem certissimum: natum esse Svecia Achillem alterum, columnen
culmenque Augusta Domus: Imo ipsis fatis destinatum Carolo XI. Maximum
Successorem, Carolum XII. HERCULEM redivivum, qui triceps monstrum, non
cerebrinum Cerberum aliquem, sed vafricie, perfidia & crudelitate ferocientem
tergemini hostem plusquam Herculeo robore vinceret. Nec vana hæc fu-
isse bonorum omnium de tanto Principe præsgia, sed vota omnia, & spes, non
saltēm implevisse, verum etiam multis vicibus, ubi imperio admotus, superasse
tot insulata virtutis opera cum admiratione seculi patrata passim testan-
tur; & nobis si ullum aliud tempus, sanc hoc triumphale, grata mente
recolendum esse dictant. Augetur devotissimi hujus cultus necessitas
stato veluti tempore solenniter præstandi, si circumacti superioris anni curricu-
lum remetiri animo, & tot illustres non modo victorias, quas de suis hostibus
atrocillimis per supremi Numinis benignitatem obtinuit Invictissimus Rex no-
ster; sed & tot capitis vitaque discrimina, quæ per ancipitem Martis aleam, sue-
tasque hostium insidias incurare necesse habuit, salvus & incolunis evasit,
omnes ponderare & harum rerum momenta suo pretio estimare, prout par est,
volumus. Quis enim quæso qualisque Svecia & universæ Patriæ exitit annus
ille à proximo natali usque ad hunc, quem festivis gaudiis jam celebramus, ex-
clusus?

Etus: insignis sane & summa rerum commutatione, & maximis casibus fortunaque
vicibus; in nos vero præcipuo quodam & singulari DEI beneficio memorabilis.
Advenientis quippe exercitus Svecici nuncio ad Saxones in Livonia adhuc hæ-
rentes vix allato, quanta ubique trepidatio? quantus timor? quanta, quamque
propera & fugæ similior hostium profectio? Quam leta superato paulo post Dü-
næ flumine rerum conversio? per descensionem in littora præsentibus & frustra
prohibere conantibus hostibus factam, nec non per impetum Svecorum prorsus
Heroicum, quem hostiles copiæ numero & virtutis opinione haud minores,
integræ præterea, munitissimæ locis ac operibus coniectæ sustinere haud quaquam
valuerunt. Ut REGEM Sveciæ huc quoque venisse, vidisse & vicisse simul verissi-
mis præconis fama per orbem merito vulgarit. Quam incredibilis deinceps &
celerrimus victoriarum cursus? Quam prompta Kokenhufse & Dumamundæ
receptio? Quam facilis Mittaviae, Goldingæ, Baufcii, Libavii, Birsaæ, Vilnae, Grodnæ
aliorumque, quæ præsidii hostes tenebant per Curlandiam, Semigalliam, Samogiti-
am ac Lithuaniae, occupatio? Quam prona omnium deditio, quoconque victori-
cia sua ac justissima arma porrexerat Rex noster? Quanta item in exteris
alienaque fætvia oppressos Ejusdem benignitas? quanta & quam inusitata pror-
sus eosdem in jura & bona avita, unde per vim ejecti erant, restituendi contencio?
Quanta denique Maximi Regis vel in tenuissimæ fortis incolas huma-
nitatis, pari cum pietate in Deum rectique amore cunjuncta? Non dicam de
variis ac ingentibus, quas Russis Careliae & Livoniae limites insultantibus intule-
rant ibi hoc quoque anno Duces fortissimi, auspiciis CAROLI militantes: nec
de aliis Sveciæ virtutis monumentis, qua in tolerandis laboribus, siti, fame, fri-
gore aliisque coeli injuriis, exemplo vix imitando, sane ante inaudito, REX in-
victus, militesque facto ejus incensi, durissima nuper hyeme ad stuporem us-
que ostenderunt; veluti in animum sibi revocando Gothos, gentium Victores,
ipsiusque Imperii Romani & reliquiarum ejus in Italia, Gallia, Hispania & Africa
everiores. Ex alia parte codem hoc tempore cernebamus singulare justitiae
divinæ spectaculo hostes, non minus numero quam vi & ferocia valentes, pe-
nes quos paulo ante Livoniæ, Curlandiæ, & vicinarum regionum erat arbitri-
um, non tam vi & armis, sed rei male gestæ conscientia pulsos locis, quæ infedel-
rant late, quibusque aditus in interiora regni munitur, aut deceplisse ipsos, aut
virtute Svecica inde dejectos, urbes, oppida, pagos, focos, aras, & quicquid
alias charifsum esse solet, infrequentis & fugientium terga prementis Victo-
ris clementiae relinquere. Quin illum ipsum divini humanique juris contemptorem
hostem, qui spem protendendi regni sui limites injustam conceperat, non sine
miserando imbecillitatis humanae ludibrio videre jam licet, disturbatis machi-
nis, quas statuerat astutia, vacillare, & sine sangvine & cæde in remotam regni
partem rejectum sollicitare atque movere, quicquid vel ad pacem reducendam,
vel ad bellum duendum, facere ullo modo possit. Nihilominus inter tot victo-
rias, lætandiq; causas haud leves qua quoque ratione animum laxare curis possumus,
quibus coetera pacatis anceps hæc rerum facies ante oculos obversatur?
Avulsus à charifsum patriæ amplexu REX noster & PETER PATRIÆ indulgentis-
simus inter hostium cuneos & globos, inter dubiæ fidei socios & amicos versat-
ur, quemque prater anticipes bellorum casus tot infidianum fraudes diversis
& occultissimis plerumque viis appetunt. Eo magis igitur pius est hoc ipsum
officium, quo immortali DEO humillimas nuncupare gratias, Regisque optimi
laudes pro virili decantare MUSÆ CAROLINÆ sustinuerunt. Neque tamen
tantum sibi sumunt, ut Regie Glorie ornamentum aliquod addere se posse
existimat, quæ tot maximorum per Europam Regum judicio approbatur,
totque celeberrimis ingeniosis celebratur. Et ipsa alias sibi sufficit, mavultque
laudanda orbi exhibere facta, quam ferri laudibus. Cum tamen non parum in-
terfit

3KThn6795

x3005603

tersit Musarum nostrarum, ne quid devotissimi sui cultus omittant & memori-
am tanta & tam incredibilis virtutis oblitterari patientur, suscepereunt in se has
partes quatuor ex cœtu civium Gymnasii nostri genere, moribus ac doctrina
florentissimi Juvenes:

JOH. CHRISTIANUS BAHR, *Straßburgensis*,

CHRISTIAN. HENRICUS SIEBRANDUS, *Sedinenſis*,

LAURENTIUS MATTHIAS ZUR NEDDEN, *Sverinenſis*,

JOH. HENRICUS BARTHOLDUS, *Sedinenſis*,

Hoc quidem ordine dicturi, ut *primus* necessitatē pietatis hujus, lātitiæque
publicæ causas devotissimo in Regem cultu flagrans, solita Latina Oratione paulo
überius exponere ordiantur; *secundus* non cedens illi humillima in Regem vene-
ratione, Victoriae ejus in superioris & hujus anni expeditione partas, & supra
strictim adductas Carmine Germanico suscepere decantare; *tertius* eadem religio-
ne adductus, eadem regiæ virtutis decora metro Latino diversi generis includere
contendat. *Ultimus* denique, humillimæ tamen mentis obsequio haud qua-
quam postremus, alia hanc in rem facientia, à prioribus tamen propter nimiam
dicendorum copiam transmissa; cum primis singularem illam REGIS nostri be-
nignitatem in nonnullis Poloniæ Proceribus contra injustam vim defendendis
exhibitam com̄memorare, cumq; eo omnes simul vota publica pro salutis publicæ
Affertore ac Vindice acerrimo nuncupare studeant. Quod pietatis genus quem
admodum omnibus bonis se probaturum esse nulli dubitamus: ita ut egregii
hi optimorem Juvenum cōnatū adjuventur & extimulentur magis, Illustrissimi
& Excellentissimi GUBERNATORIS GENERALIS, Regii item REGIMINIS,
quod Pomeraniæ Sveciam moderatur; nec non aliorum provinciæ hujus ac
urbis Procerum & Antistitum, quoconque loco, ordine & gradu eminent, præ-
sentiam gratiosam ac benevolam, omni qua decet ratione, avide expetimus.
Quin reliquos omnes Musarum Patronos, Fautores ac cutores, & quotquot pi-
etatis in REGEM sensus animat, ad hæc Sacra frequenter & promptly obeun-
da reverenter, amice & officiose invitamus. Quod restat, DEUM O. M. supplice
voce & mente oramus & quæsumus: velit tantis bonis perpetuitatem addere,
REGEMq; adeo nostrum, nostra non modo salutis certissimum pignus, sed
etiam tranquillitatis & securitatis per Septentrionalem, quin per universum Euro-
pæum orbem Reparatorem Potentissimum inter tot summa rerum discrimi-
na cum universa AUGUSTA FAMILIA sospitem diu ac omni generis felicitate
florentem servare: & sic exaudire preces nostras & suspiria, quibus expeditio-
nen ejus, arma, exercitus, consilia quoque & omnes conatus divinæ custodia
tradimus, ut sapientia ejus & virtute hostium ferocia extingvatur prorsus, fir-
maque tandem pax tot illam anhelantibus terris restituatur; atque sic Athē-
næum nostrum supplicationes hasce & sacra meritis immorta-

libus ejus in publicam rem debita majoribus subinde

rerum ex voto fluentium incrementis no-

bilitata, anno vertente, latius adhuc

repeterem pōlit. Faxit illud

DEUS! faxit!

P. P. SEDINI,
IN TEMPLO CATHEDRALI
DOMINICA III. POST. IRIN.
A. O. R. MDCCII.

UD18

In laudem Caroli XII. Reg. Succ.

II n
6795

QUOD FELIX, FAUSTUMQUE ESSE JUBEA
DEUS O.M.

NATALEM
SERENISSIMI AC POTENTISSIMI REGIS
AC DOMINI,

DN. CAROLI
X.

SVECORUM, GOTHOR
REGIS
DOMINI NOSTRI

ANNO O.R. MDCCII.
FELICI SIDERE PRON

D. V. JULII. HORA X. IN
GYMNASHI CAPI

IV. FESTIS O
DEVOTOQUE CULTU

PUBLICE IN
ET AD HANC I

ILLUSTRISSIMUM ET EXCELL

GUBERNATOREM

ILLUSTRE ET MAGNIFICU

PROCES PORRO HUJUS URBIS

NECNON RELIQUOS SACRI ET

SUO QUOSVIS LOCO ET

REPUBLICA ME

QUOTQUOT DENIQUE

ET OPERA

OBSERVANTER OFFICIOSE

ATHENÆ ISTIUS ILL

JOH. GEORG. RÖSERUS. S.

SEDIN
Scriptum typis Starckii. Gym

